SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA

Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 28v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



.L.

De descensu saluatoris ad inferos. Non multum est laborandum quia nec inueni philosophum hunc impugnantem articulum. Nam saluator noster secundum diuinitatem ubique erat secundum in illo triduo in sepulchro iacebat. Sed animam fides descendisse dogmatizat ad inferos. Verbum tamen eternum semper utrique unitum erat quia numquam deposuit qua semel assumpserat. Satis tamen rationabile fuit. Vt sicut destructor dyabolus homines a paradiso deiecerat et in aure forti violenter ad lymbum rapuerat. Sic reparator eos a lymbo extraheret et ad perditam gloriam reuocaret. Non enim minor esse debuit pietas redemptoris quam crudelitas inuasoris. Item rationabile fuit satis ut ipse qui pro hiis qui in lymbo erant de celis aduenerat. Et tam indigna pro eis incrucepertulerat ad eos letificandos post triumphum descenderet eosque inde adduceret ut sic cum eis celum conscendens sue passionis fructum ostenderet. Videmus enim in naturalibus rebus. Qui radius huius uisibilis solis qui in scripturis sanctis dei filii typum gerit ad hoc ymma descendit vapores exterra resoluit quos eleuans sursum uehit. Et constat quod tamen eos aliquando leuat quod totaliter eos inflammat et in lucis pulchritudinem eos mutat. Non enim frustra solaris radius terram uisitat quia dum sua virtute intima terre penetrat. Et se quodammodo terre incorporat. In ea metalla nobilissima generat eam ad uegetabilia queque fecundat et ipse contraria et pugnantia inter se elementa conciliat. Nullus enim omnino fructus terre existeret nisi ei solaris radius aduenirret. Vnde uidemus terras multas a sole remotas uel omnino non uisas esse penitus infecundas. Sic et per omnia fructus noster nullus esse potuisset nisi ad nos uisitandos diuinus radius aduenisset. Dum ergo ad nos ex misericordia uenit aureos et preciosos in terris homines generauit